

Itaq; idem per Apostolos & legatos suos ad recōciliationē cum Deo nos invitāt, Mediatoris officium sponte nobis offerens, amissam ovem quærens, & filium prodigum in gratiam recipiens. Caveat ergo qui homo natus est, Christi Mediatoris inter nos miseros peccatores & Deum officium recusare, aspernari, & semet illustri illo sacerdotali intercessoris munere privare.

CAPUT III.

JUSTIFICATIONEM NOSTRAM coram Deo consistere tantum in perfecta obedientia & merito Christi Jesu, & in remissione peccatorum per fidem apprehensa.

Rom. 5. *Sicut per unius inobedientiam, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam, justi constituentur multi.*

Sicut bonus architectus excelsam domum ædificaturus, hoc sibi primum credit dari, ut quam profundissimū fundamentum jaciat: Ita clementissimus & misericordissimus Deus regale & æternum palatium salutis justitiæq; nostræ erecturus, putavit sibi
ejus

Funda-
mentum
justitiæ
& salutis
nostræ est
miseri-
cordia.